










# DE GVBERNANDA SANITATE, SECVNDVM SEX RES NON naturales, Ex Hippocratis & Galeni libris placita quædam desumpta, Per D. Ioannem Katzschium Hallensem iam recens edita.



FRANCOFORTI APVD
hæredes Chr. Egen.

# REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO

Principi ac Domino, Domino Sigismundo, Archiepiscopo Magdeburgensi, Primati Germaniæ, Marchioni Brandenburgensi, Stetinensium, Pomeraniæ, Vandalorum, Cassubiæ &c. Duci, Burggrauio Norinbergensi, & Principi Rugiæ &c. Domino suo clementissimo.



Vm non abre in sex rerum non naturaliũ locos ceu ordines quosdam ex Hyppocratis, Galeniq; libris, placita quædam congessissem, atq; ante sexennium fortè, à Michaële Blum Lipsico Typographo, piæ memoriæ, tum ualetudinario, haud satis correctè, typis excusa fuissent, Sæpenumerò optaui incorrectum istũ libellum penitus in cinerem abire.

Et sanè quantum pro meis uiribus
potui, sedulò hactenus curaui, ne in
multorum hominum manus perla-
tus libellus diuulgaretur: quòque fa-
cilius nunc prima illa fœtura (ut di-
gna est) aboleat̃ annihileturq́;, non
possum doctorum bonorumq́; uiro-
rum iudiciũ censuramq́; non appro
bare, qui hunc libellũ denuò eden-
dum esse censuerunt, suamq́; operã
ut emendatè exeat, se collaturos pro
miserunt. Quantum ad me attinet,
recognoui & ipse libellum, plerisq́;
in locis, ut oportuit, corrigendo, nõ
pauca, quæ omissa uidebantur, inse-
rendo, nonnulla mutando, sic casti-
gaui, ut candido Lectori satisfactum
esse sperem.

Porrò, harum sex rerum nõ natu
ralium usus quàm latè pateat, quan-
tumq́;, non solùm in tuenda, uerùm
etiam in recuperanda sanitate uale-
at, partim ex dicendis patebit, par-
tim & ex hoc intelligi poterit, quòd
adeò sunt necessariæ, adeoq́; ineui-
tabiles res istæ, ut nemo hominum,

uelit nolit, absque iisdem uitam degere posit. Quis enim sine aëre attracto? quis sine cibo ac potu ingesto? quis sine repletione ac euacuatione? quis sine motu & quiete? quis sine somno & uigilia? quis deniq; sine animi motibus? siue sanus fuerit, siue æger, uiuere poterit? Hisce rebus in sanitate conseruatur humanum corpus, si recto debitoq; modo, ut decet, administrantur. Hisce iisdem rebus idem humanum corpus corrumpitur, si ultra citraq; modum, uitiateque adhibentur. Mediocritas igitur ac temperantia ubique spectanda, commendabilisq; est. Nec solùm conseruandi sanitatem, res istæ, uerumetiam morbos curandi facultatem obtinent. Imò ea medicinæ pars, quæ in uictus ratione consistit, ad sanandos morbos, tum tutissima, tum iucundissima esse solet. Hinc Asclepiades, cùm omnia fermè medicamenta stomachum lædere animaduerteret, ad uictus rationem, non sine causa, omnem

curam transtulisse fertur.

Cæterùm, Reuerendißime Præsul, idemq; Princeps illustrißime, regijs tuis uirtutibus, quæ clarißima, eaq; regia tua stemmata propius, quàm umbra corpus sequuntur, fretus, hoc quicquid est operæ, Reuerendißimæ tuæ Celsitudini dedicare non sum ueritus, sperans R. T. C. id æquo animo ac clementi acceptu ram esse. Cui enim rectius dedicarentur sanitatis tuendæ dogmata, quàm in cuius uita non solùm plurimorum hominum, sed & totius Reipublicæ Christianæ salus uersatur? Etenim (ut nihil dißimulem) per reuerendißimam tuam Celsitudinem futurum esse speramus, ut abolitis idolorum cultibus atq; superstitionibus, extinctis sectis, schismatis, ac dißidijs, sublatis ueneficijs, luxibus, cædibus, ac seditionibus, in unitatem, pacemq; Ecclesia Dei Catholica congressa, unanimiter, uno ore Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi glorificet laudetq;. Quæ res

tametsi hac nostra ætate, multis uideatur esse eiusmodi, ut fieri haud queat, attamen constat, id quod est coram hominibus impossibile, non esse impossibile coram Deo, qui uult omnes homines saluos esse.

Præterea & peculiaris quædam me causa mouit, ut hunc meum qualemcunque laborem reuerendissimæ tuæ Celsitudini dedicarem, nempe, ut animum meum, non solùm subditum, omnibusque in rebus fidum, morigerumque, uerumetiam reuerendissimæ tuæ Celsitudinis obseruantem, colentem, sponteque deditum, quando alia ratione non licuit, utcunque testarer &c. Deus omnipotens, ob quæ sua consilia non solùm te Principem nasci, uerumetiam & Archiepiscopum, eúmque per Germaniam Primatem, creari, inaugurarique uoluit. Ad eadem, adque suam gloriam, Reuerendissimam tuam Celsitudinem conseruet diu incolumem, suamque diuinam uoluntatem, consiliaque, per Reue-

rendissimam tuam Celsitudinem feliciter expediat, hæreditatémque Christi tueatur. Datæ Halæ in Reuerendissimæ tuæ Celsitudinis oppido, in quo fontium aquæ, syluarumq; ligna transeunt mirabili quadam metamorphosi in argentum & aurum, Pridie nonas Martij, quo uisus est uersus septentrionem Cometa, cuius terribiles significationes, tristésque effectus, Deus patientiæ ac consolationis, ab omnibus nobis, nomen Domini inuocantibus, auertat, irámque suam ac furorem, non in nos, sed in populum, qui non nouit Dominum, effundat, Anno humanæ Salutis 1556.

Ioannes Katzschius Hallensis, Medicinæ Doctor.

# EPIGRAMMA DOCTISSIMI uiri Domini Magistri Hieronymi Osij.

PRæsidium humanæ sunt artes utile uitæ,
Hoc rerũ dubius languor asylon habet.
Quo sine tempestatum exercita mole laborat,
Et uexata gemit, publica clade, salus.
Atq; togata quies uiolata tyrannidis ausu,
Exutum patriæ luget honore decus.
Barbaries magnum imperio tunc occupat orbẽ,
Et regnum populat, uiribus omne feris.
Tunc calcata iacet Pietas cum Iure sub armis,
Iustitiæq; decor debile robur habet.
Tũc furor arma mouet, dominatu fulta proteruo
Visq; aliena mali sceptra timore gerit.
Et feritas animos patiente Cyclopica fato,
Cædis in aduersum raptat amore scelus.
Mentibus insidunt cum cæca obliuia legum,
Atq; redit studijs gratia nulla pijs.
Pieriæ cœtus cùm deditus exulat arti,
Ingenij precium uileq; cultor habet.
Ceu neruos rerum Deus edidit usibus artes,
Ordo quibus læto duret in orbe statu.
Corporaq; innumeris cùm sint obnoxia morbis,
Quæ labor admissa labe caduca facit.
Ne subitis morti succumbat uita periclis,
Pharmaca munificus prodidit arte Deus.

Quam fauor humanæ diuinus amore salutis
Edocet, ingenio qui ualuere uiros.
Morborum ut trepidos ualeant sanare dolores,
Artifici causas & remouere manu.
Katzschius hac expers uir nomẽ ab arte sepulcri
Et dignum meruit nobilitate decus.
Laurea Doctoris cui tempora læta coronat,
Quam nascens titulo plurimus ambit honos.
Edidit hic uitæ regimen de sospitis usu,
Et bene uiuendi de ratione librum.
Qui, quo cuiq; salus maiori propria curæ est,
Auspicio debet carior esse suo.
Concinno siquidem præcepta uolumine uitæ
Tradat, alenda quibus sana diæta fuit.
Ergo qui doctos hoc donat munere cœtus,
Gratia eat tali digna labore uiro.
Cui, quò plura queat cura illius edere, uotis,
Aspirante Deo, fata secunda precor.

TAMETSI



AMETSI DVO ESSE humani corporis principia, Galenus in primo de tuenda sanitate libro adfirmet, Semen uidelicet uiri, Sanguinémque menstruum mulieris: tamen tum ueteres, tum neoterici Medici omnes ipsum sequuti, prudentißimè septem res numerant, quæ corporis humani constitutionē ingrediuntur, Quas quidem res, Naturales uocant: Expeditq; easdem tueri conseruareq; perpetuò similibus. Nam Medicus, qui harum rerum naturalium exactam cognitionem non habuerit, neq; per morbum sanandum earum uires sedulò tuebitur, In eum haud dubiè incidet sermonem: Morbus quidem curatus est, Homo autem obijt: id quod à quàm plurimis quotidie factitari uidemus, præsertim ab ijs, qui rationi experientiam sine ratione præferunt, teste Galeno secundo artis curatiuæ libro ad Glauconem.

Sunt autem septem res uocatæ naturales.

| | |
|---|---|
| 1 Elementa | 4 Membra uel partes |
| 2 Temperamentū | 5 Virtutes seu facultates |
| 3 Humores | 6 Operationes uel Actiōes |
| | 7 spiritus. |

De his singulis nunc disserere non est nostri instituti: Verùm hoc non est silentio prætereundum, principio, Sanitatem non esse absolutè ele-

mentorum,

mentorum, ex quibus constamus, aut medium temperamentum, quam Eucrasian uocant, aut debitam cõuenientiam, quam symmetrian appellant, sed eam duntaxat, quæ similarium est partium.

Deinde instrumentalium partium sanitatem in figura, numero, magnitudine ac compositione similarium consistere, functionibus uerò secundum naturam obeundis, sanitatis habitum discerni.

Postremò duplicem esse sanitatem: Vnam quæ optima, cõsummata ac summa est: Alteram quæ imperfecta, & ceu ab hac deficiens est: quarum utraq; maioris minorisq; ratione diuidua, ingentem habet latitudinem. Veluti enim album corpus aliud magis, aliud uerò minus album cernitur, ita & quod sanum dicimus, magis minúsq; tale esse uidetur. Cuius rei duplex est demonstratio: Prima sumitur ex mutatione, quæ ætatum uicißitudines sequitur. Alia enim sanitate fruuntur Infantes, alia itidem Iuuenes, & alia deniq; Senes, cùm tamen omnibus per omnes ætates licet esse sanis. Tametsi sint qui senectutem ipsam morbum esse uelint. Altera demonstratio ex actionum differentia habetur. Siquidem nec qui sani sunt omnes oculis æquè cernunt, sed alij perspicacius, alij obtusius: Nec aurib. pari modo audiũt, Sed nec pedibus nec manibus ex æquo similiter ualent, sed hi probius, illi deterius. Neq; reliquo

rum

rum deniq; membrorum munia similiter omnes obeunt: imò in singulis penè magna est in excessu defectuq; diuersitas, Tamen cuiq; propositum est seruare tueriq; eam quam ab initio accepit sanitatem. Nam si quis eos duntaxat sanos esse contendat, quorum singula membra functiones suas obeunt absolutissimè, cæteros qui minus probè sint affecti, non esse sanos: is uniuersæ artis, quæ de sanitate tuenda instituitur, fundamentum subuerteret. Hæc ex Galeno eam ob rem assignaui, 1. lib. de sanit. tuenda. ut quisq; intelligat haud similem uniuersis hominibus naturam contigisse: ob idq; nihilo felicius eãdem uictus rationem omnibus præscribi posse, quàm si Sutor unum calopodium omnibus hominibus adaptare conetur. De Temperamentorum propterea discrimine, paucæ quidem breuesq;, attamen non inutiles positiones in calce adiectæ sunt.

Porrò ex prædictis septem rebus naturalibus humanum corpus constitutum, formatumq;, duobus potissimùm modis in sanitate conseruatur. Vno quidem ac primo modo (Quia corpus in continuo fluore est) per restitutionem illius quod effluxit. Si enim ex corporibus nostris nihil efflueret, sed æqua moles substantiæ semper seruaretur, nulla foret alimenti necessitas.

Altero uerò modo conseruatur corpus per excrementorum, quæ per concoctionem collecta sunt, expulsionem.

Quæ ambo si ritè à medico ac sedulò procurantur, necessariò sequitur, corpus præproperè nec senescere, neq; putrescere: Atq; sic primo modo à celeritate mortis naturalis: Secundo uerò modo à morte accidentali securatur. Nemo enim existimare debet, Artem de sanitate tuenda, corporis immortalitatem præstare, quemadmodum Galeni temporibus quidam sophista edito libro immortalitatis uiam docere aggressus est, Cuius similes hodie sunt, qui tametsi omnium bonarum literarum expertes sint, mira tamen ϐαττολογίᾳ aureos de se montes polliceri audent. Sed nō est nunc de his locus. Vterq; uerò conseruandi modus perficitur per sex ineuitabiles res, quas tum ueteres, tum neoterici Medici prudenter nonnaturales uocant: propterea, quòd tã morbi quàm sanitatis causæ esse poterũt. Si nãq; , ut necessitas corporis exigit, cũ mẽsura et æqualitate oportuna adhibẽtur, sunt res salubres causæq; sanitatis: Sin præter necessitatẽ citráq; modũ corpori adferuntur, sunt res insalubres, causæq; morbi, ob id cõmodam artificialemq; requirũt administrationem.

Sunt autem hæ sex Res nonnaturales.
1 Aër
2 Cibus & potus
3 Repletio & Euacuatio
4 Exercitiũ seu motus, et quies
5 Somnus & uiglia
6 Accidentia seu motus animi.

Porrò

Porrò per hasce sex res nonnaturales (quib. duæ uirtutes, scilicet pulsatiua seu uitalis, & naturalis deseruiũt) in sanitate cõseruatur totũ humanum corpus, si ritè ac debitè administrantur. Per easdẽ.n. fit nõ modò refectio eius quod è corpore effluxit, uerũetiã excrementorũ expulsio.

Quod uerò è corpore nostro aßiduè effluit, aut est substantia aëria & ignea, et potißimùm restauratur per aërem, mediante uirtute pulsatiua: Aut est substantia sicca, et restituitur per cibum: Aut est substantia humida, & restauratur per potum, agente uirtute naturali: & sic primæ duæ res nõnaturales, Aër uidelicet, & cibus et potus, potißimùm refectioni deseruiunt, quemadmodum deinceps uidebimus.

## DE AERE.

Quando uerò Aër tam per inspirationem, quàm per arteriarum motum ac pulsum attractus, nobilißimam corporis nostri partem, uidelicet spiritus uitales, animales, naturalesq;, qui sunt de substantia ignea aëriaq;, conseruet: primùm de ipso tanquam de nobiliore dicemus.

Sciendum quòd aër inter cæteras res nonnaturales principatum obtinet, fortiusq; humanũ corpus alterare poterit, omni alia re non naturali: partim, quia continuò degimus in ipso, nullaq; eius uitandi ratio est, quando sine eo inspirato nõ cõcedatur uiuere, inuitisq; nobis hauriendus

ſit: partim quia nunquam non nos undiq; ambiens, ſubtilitate ſuæ ſubſtantiæ in profundum corporis ingreditur, per uniuerſos corporis poros dilatatione arteriarum attractus: partim quia eſt pabulum, imò de ſubſtantia ſpiritus uitalis.

Ipſe uerò aër in ſe multas patitur mutationes, tum propter ſubſtantiæ ſuæ raritatem, quæ ualde mutabilis eſt, tum quia inter quatuor Elementa (ſi Aſtrologis credimus) plures habet Planetarum Sphæras, quæ ipſum continuò mouent ac alterare poſſunt. Sphæra nanq; Solis tantùm mouet ignem: Sphæra Lunæ aquam: Sphæra ſtellarum fixarum terram: reliquæ uerò Sphæræ omnes, ſicut Saturni, Iouis, Martis, Veneris & Mercurij, mouent aërem: Si credimus, inquam, Aſtrologis.

Cuius rei gratia, aër ubi bonus eſt & commodus, plus iuuamenti humano corpori adfert, omnẽ alia re naturali. Contrà uerò, ubi nocuus eſt malusq;, ibi omni re eſt nocentior, imò peſtilentiſsimus eſt.

Saluberrimus uerò uniuerſis hominibus aër iudicatur, qui optimus ac puriſsimus eſt. Optimus autem ac puriſsimus aër is eſt, qui nec ſtagni, nec paludis halitu ſit infectus, nec aliquid ex metallis, aut caminis, aut barathris ſibi admixtum ſit, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpiret:

Nec

Nec qui ex cloacis, quæ urbem aut numerosum exercitum purgant, uitium contraxit: Nec qui ex animalium, holerum, aut leguminum, aut cuiuscunq; rei putredine coinquinatur: Nec qui ob stagnum aut flumen uicinum nebulosus sit: Nec qui æditis undiq; montibus aut ædificijs in cauo loco occlusus, nullum recipit perflatum: suffocans enim putrisq; est, similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem & perflatus defectum, plurimus aceruatur situs. Huiusmodi ergo aër omni ætati est noxius: sicut è diuerso, qui purus omnino est, nulli non ætati est saluberrimus.

Hinc admodum prudenter mihi agere uidentur Principes ac magnates, qui in locis liberis, ueluti ad finem ciuitatum, ad Orientem, Septentrionem, aut Occidentem arces suas ædificare solent, quippe ubi commodè & perflari poterunt, & ab hominum mechanicorum fœtore, præcipuè cadauerum, sint liberæ.

Sic aëris quidem essentia uniuersis hominibus æqualiter conuenit, quæ optima est.

At uerò quæ ex ipsius qualitate, calido scilicet aut frigido, humido aut sicco contingit diuersitas, non perinde se ad omnes homines habet, Sed corporibus, quæ optimo temperamento sunt, etiam optimè temperatus aër est saluberrimus. Optimè autem temperati aëris termini hi sunt, ut

in aëre quidẽ ambiente, neq; horreat corpus propter frigus, neq; sudet propter æstum. in quibus uerò aliqua exuperans qualitas dominatur, his utilißimus aër est, qui ei qualitati maximè est aduersus: utpote frigidus aër calidæ, calidus frigidæ: Humidiori qualitati, siccus aër: Sicciori quàm par est, tantò humidior, quantũ siccitas ipsa modũ excesit. His omnibus prospiciat oportet, qui uires illæsas tueri uelit.

## DE QVATVOR MVNDI PLAGIS.

Quod autem ad quatuor mundi plagas attinet, Orientem uidelicet, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem, non ignorandum est, quòd aër & uenti Septentrionales, omnium penè salubberrimi censentur: Quippe qui non modò putredinem aliquam non adferunt, uerumetiam ipsam, si adest, corrigunt. Quamobrẽ tempore pestilitatis huic plagæ fenestras nonnunquã apertas esse expedit, quia boreas, qui frigidus & siccus natura uentus est, pestilentialem aërem, sicut & solares radij, corrigere solet, omniaq; imputria seruare. Orientales uerò uenti, quia calidi & sicci, Occidentales uerò, quia frigidi & humidi censentur, non insalubres existunt.

Gal. in 1. de temper. lib.

Omnium deterrimi sunt Meridionales uenti, quia calidi natura & humidi sunt, qua de re, omnia facilimè Austrino statu putrescunt, uitandi igitur sunt, præcipuè uerò infecti aëris tempore.

DE

## DE ANNI TEMPORIBVS.

Ver.

Inter quatuor anni tempora, saluberrimum Ver esse Hippocrates testatur, ideoq; temperatum esse constat. Longéq; errant, qui ipsum Ver calidum humidumq; esse autumant, cùm nullum temperamentum putredini magis obnoxium sit, quàm calidum & humidum. Quod sanè temperamentum (ex Galeni sententia) in quatuor anni temporib. inuenire nequeas: In graui ac pestilenti aëris statu nonnunquàm incidit. Aër itaq; Vernalis, tum quia temperatus est, tum quia ob solē ascendentem à commixtis uaporibus depuratur, saluberrimus minimeq; mortifer censendus est.

Autumnus. Gal. 3. de temp.

Autumnalis uerò aër sedulò fugiendus est, nō quòd frigidus sit & siccus, ut falsò quidā illi hoc temperamentum absolutè adscribunt, sed propter inaequalem eius temperiem, quae maximè autumnum morbiferum facit & exitialem, sicut Hippocrates illa sententia significauit: Cùm eodem die, modò frigus, modò calor nos urget, Autumnales expectandi morbi sunt.

Hyems & aestas. .i. omniū rerum uicissitudo suauis est.

Hyems uerò frigida & humida, Aestas autem contrà, calida & sicca est. Et huiusmodi quidem temporū uicißitudo iuxta Prouerbiū, ἡ μεταβολὴ τῶ πάντωμ γλύκη, non solū suauis est, uerū etiam ad ualetudinem necessaria. Nam si unum anni tempus frigidum, in corpore pituitoso aut parato commouere poterit Epilepsiam, Apo-

Gal. de temper. lib. 1.

plexiam, Paralysim, aut similes morbos: Tempus uerò calidum in corpore bilioso & parato, maniam, febres acutas, et id genus alios morbos: Quanto magis, si duo triáue tempora, aut totus annus eiusmodi fuerit? præcipuè si totus annus, aut magna ex parte Austrinus fuerit, pluatq; per æstum imber largus aßiduè. Id nanq; humidi ac calidi status proprium est, ut in æstū aßiduè pluat, tū necesse est, ut aut magna pestilentia succedat, aut magna hominum corruptela ob putredinem subsequatur. Quapropter excedēs temporum qualitas, cum contraria sibi qualitate semper corrigenda est.

Hæc quidem de aëre, qui aëream igneamq; à corpore effluxam substantiam, uidelicet spiritus restaurat, nunc sufficiant: Quæ quidem restauratio, per uirtutem pulsatiuā seu spiritualem, ut dictum est, perficitur. Nunc uerò de restauratione illius, quod humidioris sicciorisq; substantiæ effluxit, dicendū est. Atq; hæc quidē restauratio per uirtutem naturalē nutritiuā perficitur, Cui quatuor uirtutes naturales, attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix deseruiunt: Quas quidē uirtutes naturales in omnib. corporis partib. nedum in stomacho ac epate inuenias. Cibus nanq; & potus non nutriunt, nisi per dictas uirtutes probè mutati confectiq; sint & adsimilati.

## De secunda re non naturali.

## DE CIBO ET POTV.

Circa cibi potusq; administrationem multa à multis dici solent, omnia tamen ferè eò referũtur, ut bona commodaq; comestorũ in uentre fiat concoctio. Neq;.n. quisquam (si Galeno Medicorum principi credimus) morbo corriperetur, si accuratè obseruaret, ne in cruditates incideret, nec post cibũ uehemẽter exercitaretur. Hinc idẽ Galenus à craßi lentiq; succi cibis non prohibet eos, qui nulla re impediti, exercitatione multa somnoq; ad satietatem uti possunt. Breuiter igitur circa cibi rationem, sex consideranda sunt.

1. li. de cibis boni ac mali succi.

Primum cibi substantia, secundum cibi quantitas, tertium cibi qualitas, quartum tempus, quintum ordo, sextum consuetudo.

## DE CIBI SVBSTANTIA.

Primùm, quo ad substantiam, An tenuis, aut craßi succi cibus sit, obseruandum est.

Quamuis neq; crassus neq; tenuis cibus damnãdus sit, neuter tamen quandoq; uitio caret. Siquidem crassus cibus difficulter concoquitur, lentumq; ac glutinosum succum gignit, qui calorem innatum suffocando extinguere potis est.

Tenuis autem cibus parum nutrit, corporaq; quæ eo aluntur, & gracilia & imbecilla redduntur, Imbecillitas uerò morbis facilè est obnoxia.

Ad bonam itaq; tuendã ualetudinem cibi sunt eligendi, qui neq; tenuẽ, neq; crassum penitus suc-

cum gignunt, sed qui mediam quasi inter tenue crassumq; naturam habeant. Cuiusmodi sunt:

## DE PANE.

Panis mundissimus ex farina triticea cum sale ac fermento secundum artem probè confectus, cuius grana non in aëre infecto, nec de terra corrupta, sed sana sint collecta, quiq; ob uetustatem nō corruptus sit, nihilq; uitiarum lolijue, quæ oculis neruisq; incommodare solent, commixtum habeat.

Ex Gallinaceorum genere sunt tam mares, quàm fœminæ, & caro pullorum.

## DE AVIBVS ET PISCIBVS.

Ex auibus fasiani, perdices, columbæ, turtures, & omnes ferè aues syluestres.

Ex piscibus sunt saxatiles, marini & squamosi, qui in aqua munda arenosa & nati & capti sunt, habentes carnes duras, frangibiles, sapidas, & bene odoratas.

Gale. in de boni maliq; succi cibis lib.

Aues nanq; & pisces ferè omnes boni succi censentur, exceptis lacustribus, palustribus, & qui in immundis fluminibus ac turbidis degunt: minus.n. sese natationib. exercent, uitiatoq; tum aëre, tum uictus genere utūtur, præsertim si in aquas illas, urbis alicuius amplissimæ latrinarum, balneorum, culinarumq; loturæ, purgamenta defluant. Caro enim animantium, quæ in eiusmodi aquis uiuunt ac immorantur, deterrima est.

## De syluestribus & quadrupedib.

*Syluestrium animalium caro, quia multis cursitationibus se fatigant, & in aëre sicciore uersantur, quàm domestica, incolumior censetur. Pluribus enim diebus à putrefactione adseruatur. Caro tamen hœdina, uitulina, aliorumq; bene conditionatorum animalium, non est reijcienda.*

## DE LACTE.

*Lac omnium ferè Medicorum sententia probatißimi succi habetur. Muliebre tamen lac primas sibi uendicat: deinde lac caprinum (Asininum enim rarò apud nos in usu est) Postea uaccinum & ouinum.*

*Necesse autem est, ut animal, ex quo lac sumitur, sit boni habitus, boniq; succi, qui ex optimis pascuis ac nutrimentis eueniunt.*

*Immiscendum tamen lacti est, uel mellis puri, uel zaccari, & salis nonnihil, ne in stomacho coaguletur, uacuo præterea stomacho, sumendum est scorsim, præsertim absq; piscibus.*

*Porrò aßiduus lactis usus dentibus ac gingiuis officere solet: has enim humentes, & flaccidas, dentes uerò putrefactioni & erosioni obnoxios facit. Assumpto igitur lacte conuenit uino diluto, cui aliquid mellis sit admixtum, aut quod præstantius est, primùm mellicrato, deinde cum uino adstringente os abluere. Sic enim si quid ex lacte*

cascorum dentium interstitijs, ginguisq; infarctum obhæsit, abstergetur.

## DE OVIS.

Inter cibos mediocres numerantur oua gallinarum. Eliguntur autem paruula, oblonga, ad mediocritatem cocta. Nam si nimis sorbilia sunt, ut facilè digeruntur, ita & eorum nutrimentum facilè euanescit, dißipaturq;.

## DE CASEO.

Caseus omnis craßi, uetus uerò etiam mali succi est: recens autem nunquàm mali, minusq; craßi succi est, quàm uetus.

## DE CIBIS OMNIBVS HOminibus uitandis.

Cibi uerò uniuersis hominibus inconuenientes sunt, qui excellentem in primis qualitatibus uirtutē obtinēt, siue in calido, siue in frigido, siue in humido, siue in sicco, ut sunt, Allia, cepæ, porri, caules, synapi, et fructus penè omnes, qui asseruari exiccariq; nequeunt: sed antea quàm exiccētur, putrescunt, quorū tamē perpauci sunt, ut mora, persici, fungi, pepones, & si qui sunt alij: quia eiusmodi uitio non carent. Qua de re, tēpore infecti aëris, huiusmodi cibi tanquā pestis ferè ipsa, fugiendi sunt. Hæc de cibi substantia sufficiant.

## DE CIBI QVANTITATE.

Secundò consideranda est cibi quantitas, quæ tanta esse debet, ut cōmoda eius fiat in uentre cōcoctio,

coctio, et quantũ naturæ, nõ appetitui sufficiat, quæq; minimè grauet uentriculũ, quod cũ uitari in imbecillo uentriculo nequeat, proximũ est, ut quàm citißimè grauis esse desinat. Solus enim tẽperatus stomachus tantum appetit, quantum concoquere potest.

Frigidus uerò natura stomachus, melius adpetit, quàm concoquit: Calidior autem stomachus contrà, melius concoquit, quàm appetit: potius ergo cibi großi, quàm subtiles ei cõueniunt: quia illi concoquuntur, hi uerò in eodem corrumpuntur. Exploranda igitur est stomachi temperatura, quæ pro ætate, sexu, & alijs uariatur. Gale. in techni.

Ad hæc sciendũ, quòd ut nimia quantitas, ita & nimia cibi paucitas, stomachi coctionem impedire poterit. Nam si in magno stomacho adeò exiguus sit cibus, ut stomachi corpus corrugatũ undiq; amplecti cibũ non poßit, non exacta, nec commoda fiet cibi concoctio. A nimio aũt cibo stomachus multò uehementius læditur. Membrum.n. ultra modũ extensum, in continuitate sua nonnũquam soluitur; quare uirtus eius naturalis omnino deficit, fitq; cruditas, quæ mater est omniũ ægritudinũ, ob idq; dici solet, Plures mori crapula, quàm gladio. Etenim multis nominib. exitialis est cruditas. Primùm.n. crudi succi si copiosi in corpore sunt, grauant: Deinde tum multitudine tum craßitudine sua exiguos corporis meatus

obſtruentes calorem innatum extinguunt. Rurſus manifeſta ſua qualitate, non tantum alterant temperamenti mediocritatem, uerumetiam corrumpunt. Denique cùm nutrire corpus, priuſquàm concoquantur crudi ſucci, nequeant, ſyncopæ obnoxium reddunt.

Quot enim ſuperfluè ſe repleuerunt, & aut
2. Aph.3 rupta uena, aut ſuffocato calore naturali, ſubitò interierunt, ut Galenus de quibuſdam athletis teſtatur. Et Hippocrates, Vbi cibus (inquit) præter naturā intrat, ibi morbū facit. Hinc eſt quòd Medici cōmuniter ferculorum multitudinem in una menſa damnēt, ne ob uarietatē, quæ delectare ſolet, plus cibi, quàm concoq̃ poßit, ingeratur. Quāuis ταυταρμαλία ϗ μονοφαγία. i. identitas cibariorū, & uictus, ex una re, non careat noxa: ſiquidem nobilis, & elegantis appetitus nouerca, faſtidij uerò ac nauſeatiuæ ſatietatis mater eſſe ſoleat, et mihi nō pauci ſunt noti, quos unius cibi repletio magis, quàm moderata uarietas lædit, et in hoc certè cōſuetudo experientiaq; non parū momenti habent, breuiter uerò ſciendum eſt: Quòd

| | | | |
|---|---|---|---|
| Cibus | Multus plenus ſeu groſſus | corporis uirtutem | augmentat, |
| | Moderatus | | conſeruat, |
| | Paucus ſeu tenuis | | minuit. |

Si igitur augere corporis robur uoluerimus, utemur alimento multo ſeu pleno: ſi cuſtodire, mediocri. Si uerò minuere ac demoliri uires corpo

ris uoluerimus(id quod per sanitatem nunquã, in morbis uerò non omnib. sed qbusdã, ijsq; acutis moliendũ est) utemur alimẽto pauco, ac tenui uictu.

Sicut igitur de substantia cibi dictum est, de medijs cibis eligendis, ita in quantitate etiam mediocritatem seruasse optimum fuerit: Hinc rectè Hippocrates inquit: Non sacietas, non fames, neq; aliud quicquam, quod modum naturæ excesserit. Omne enim nimium naturæ est inimicum. 2. Aphorismo. 4.

Quando tamen à medio ad aliquod extremorum declinare necesse fuerit, tutius, meo iudicio, erit utplurimum in paulò pleniore, quàm nimis tenui uictu excedere: ut clarißimè Hippocrates testatur. Quicunq;, inquiens, error committitur magnus, maior in tenui uictu fit, quàm paulò pleniore. Propterea etiam sanis periculosius existit ualde exquisitus uictus & constitutus: quoniam errores grauius ferunt: ob hoc igitur tenuis uictus atq; admodum exquisitus, eo qui paulò plenior est, magis periculosius existit. Ex his Hippocratis uerbis manifestum fit, per uictũ paulò pleniorẽ, uires corporis augendas potius, quàm per tenuem deijciendas esse. Sicut enim corporis imbecillitas morbis ferè omnibus obnoxia est, ita contrà, natura fortis nulli non morbo resistere potest, materiam morbi mirè expellendo, Galeno teste.

Atq; hæc ferè causa est, cur uiolenti nonnulli

homi-

homines, omnibus penè in rebus inordinatè uiuentes, nullã tamen ægritudinẽ incurrere uidentur. Adde quòd nocumentum cruditatis, & morbi materiales facilius sanantur, quàm morbi immateriales & arefactionis. Summè tamen curandum, ut quando mediocritas planè seruari nequeat, excessus saltem sit mediocris, Ne habitus corporis ad summum bonitatis attingat: Siue enim refectiones, siue euacuationes, si ad extremum perueniant, periculosæ sunt.

## DE CIBI QVALITATE.

Tertiò consideranda est cibi qualitas: His enim qui æquali temperamento sunt præditi, æquales ac temperati cibi ac potus maximè conducunt. Tantò enim melius est nutriens, quantò ijs iucundius est quod comedunt. Itaq; cibis medicamentosis uti ijs temerè non expedit, siquidem calidiores cibi (ut Allia, cepe, synapi, etc.) sanguinem adurunt & excoquunt: frigidiores autem cibi phlegmaticũ humorem generant, qui tum manifesta sua qualitate, tum substantia sua grossa & uiscosa, calorem innatum suffocando extinguit.

6. lib. de sanit. tuenda.

Porrò intemperatum quidem temperamentũ si uertere quis in melius uelit, alimenti species cõtraria esse superanti qualitati debet. Sensim uerò id citraq; noxam fiet, si & præsit medicus, & is qui curatur, à negotijs ita liber sit, ut omnia suo tempore peragat. Nam qui negotijs districtus

ctus est, illi longè tutius fuerit, ut nec tentet temperamentum suum mutare, sed accommoda sibi nutrimenta sumat. Apta autem sunt, humidis quidem humida, siccis uerò sicca: Nutritio enim fit, cùm cibus corpori aßimilatur. Citius uerò adsimilantur sicca siccis, & humida humidis: hinc rectißimè Hippocrates: Humidus uictus omnibus febricitantibus (inquit) confert, maximè uerò pueris, & alijs qui tali uictu uti consueuerunt. 6. de sanitate tuenda. 1. l. Aph. Apho. 16 6. de sanitate tuenda.

Qui uerò calidiore frigidioréue temperamento sunt prediti, ijs contraria dare semper expedit. Facilius enim similibus alimentis in morbosam intemperantiam abeunt, quàm qui humidiore aut sicciore sunt temperamento, ob calidi frigidiq; uehementem efficaciam, Physicis notam.

Porrò, tametsi moderata ciborũ uarietas concedenda sit sedulò, tamen cauendum est, ne cibi una uice sumendi, siue substantia, siue qualitate ualde inter se diuersi sint: Nam ob substantiæ diuersitatem inæqualis fit concoctio, ut patet de carnibus boum & hœdi in eadem olla simul decoctis.

Ob qualitatis uerò contrarietatem ac pugnã inter se, oriuntur in uẽtre tormina et inflationes, quæ nõ nisi pugnantium expulsione finiri solent: ut Galenus de braßica testatur, quæ licet simplex esse uideatur natura, tamen composita est: Succus enim eius ad expulsionem stimulat: solida 1. de alimentorũ faculta.

autem eius substantia stringit uentrem: ob id tutius est succum à substantia separare.

## DE CIBANDI TEMPORE.

Quartò obseruandum est in cibando tempus, quod trifariam consideratur: Primò ratione anni, secundò ratione ætatis, tertiò ratione diei. Non parum enim ad uictus rationem instituendã anni tempora conferunt. Hyberno namq; tempore & plus appetunt homines, & cibum facilius cõcoquunt, quàm in æstate. Cuius rei causam reddit Hippocrates, Ventres, inquiens, hyeme et uere natura calidißimi sunt, & somni longißimi: quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda: Etenim calor innatus tum plurimus est, unde & pluribus egent alimentis. Oportet enim esse alimenta, non solùm quantitati, eius quod ex corporibus nostris effluit, sed & innati caloris multitudini, proportionalia.

1. Aphorismo. 15

Porrò Hyemi adsimilatur et Veris initium, et Autumni finis: Aestati uerò finis Veris, et Autumni initium similia sunt.

Hippo. de uict. rati. pri.

Hyems.

Quod aũt ad temporum qualitatem attinet, Hyemis quidem temperies, cùm immoderatè frigida humidaq; sit, corpus calefaciendũ, exiccandumq; est, ideoq; plurimo cibo, sed calido & sicco: potu uerò paucißimo, eoq; meracißimo: carnibus magis assatis, quàm elixis: holeribus paucißimis

cissimis hoc anni tempore utendum est.

Vere autem quia temperatum est, temperatis cibis ac potibus utendum: paulò plus dilutiusq; quàm in hyeme bibendum, ciboq; paululum demendum est. Ver.

Aestate uerò, quia hoc anni tempus calidum siccumq; est, corpus exuritur squalidumq; euadit: ob id humectandum refrigerandumq; corpus est. Commodissimum igitur fuerit, tum temporis nutrimento uti humido & molli: carnibus potius elixis quàm assatis: Potio sit multa, magisq; diluta, quàm in uere. Aestas.

Per Autumnum uerò, cibo paulò pleniore & sicciore boniq; succi uti expedit: minus uerò, sed meracius bibere commodum est. A fructibus uerò qui tum abundant, quia communiter putrescibiles sunt, abstinendum est: exceptis fructibus austeris, qui non facilè corrumpuntur. Autumnus.

Differentia ætatum etiam nonnihil conducit ad uictus rationem capiendam: Siquidem senes facilè ferunt inediam: Pueri difficulter: mediæ autem ætates inter senes & pueros, quantò alteri ipsorum proximiores sunt, tantò minus aut magis ex longis inedijs offendũtur. Egregiè igitur Hippocrates, Senes, inquit, facillimè ieiunium ferunt: secundo loco, qui ætatem constitutam habent, minus adolescẽtes, omniũ minimè pueri, præsertim qui inter eos uiuidiores sunt: Qui enim Secundũ tempus ætatis.

crescunt,

crescũt, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur. Senibus uerò parum calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur.

Ex his manifestum est, pueris multum cibi ac sæpe in die dandum esse, propter multum eorum calorem innatum, qui alioqui in substantia humida ac molli absumitur defluitq́;: Senioribus uerò ac decrepitis, sæpe quidem, sed parum pro uice comedendum esse, ne paucus eorum calor multo alimento extinguatur: Sicut parua flamma multo oleo simul infuso extingui solet.

Tempus uerò cibi sic considerandum est: ut per æstatem sæpius quidem in die, parum tamen pro uice una, & horis & locis communiter siue arte, siue natura frigidis, cibum sumamus: In hyeme uerò contrario modo, Nunquam tamen, nisi priore cibo probè concocto, uerus ac naturalis adsit appetitus, edendum est: sicut rursus nec famelico stomacho cibus denegandus est, ne impleatur malis humoribus, uidelicet biliosis, pituitosis ac serosis, quos iecur nonnunquam stomacho ualde appetenti trahentiq́; remittit.

## DE ORDINE CIBORVM.

Quamuis melius sit, non neq; substantia, neq; qualitate, uarios cibos simul in una cibatione coniungere: tamen quando id ob consuetudinem, aut

magnatum

magnatum reuerentiam, hoc nostro tempore uſuuenit: tum ſi ſtomachus fuerit frigidus, qualis in ſenibus & ocioſis hominibus eſſet ſolet, ſemper mollia & humida, & quæ concoctu ſunt facilia, præmittere expedit. Contrà uerò, ſi ſtomachus fuerit præcalidus, ut eſt in quibuſdam iuuenibus laborantibus ac exercitantibus ſe (quos Galenus facilius carnes bouinas, quàm ſaxatiles piſces digerere poſſe dicit) iјs expedit groſſos, ſiccos, duroſq; cibos præmittere ſubtilibus ac mollibus, groſsi nanq; cibi debitè in eorum ſtomachis concoquuntur: Subtiles autem in nidorulentam ac fumoſam quandam qualitatem corrumpuntur: Quæ cruditas, ſi Galeno credimus, deterior eſt, ac promptius febres accendit, quàm ea quæ ob frigiditatem cibos in acidam qualitatem uertit. 1. Alimē. 8. lib. ar. curat.

Communiter tamen humida, pinguia & dulcia primo loco, quæ ſicca aſtringentiaue ſunt, ſecundo loco aſſumuntur.

## DE CONSVETVDINE.

Conſuetudo non ſolùm in cibo & potu, uerumetiam in omnibus alijs rebus nonnaturalibus diligenter obſeruanda eſt. Maximam nanq; ubiq; maximeq; principalem habet poteſtatē, tam in recuperanda, quàm in conſeruanda ſanitate. Cuiuſq; enim corporis naturam oſtendit, adeò ut Galeno ſui temporis medici nonnulli etiā 9. metho. meden.

sensu cõmuni caruisse uideamur, qui eam uelut inutilem reijcere audebant. Quis enim adeò stupidus est, ut magnoperè ex aquæ frigidæ potione læsus, hanc in diutinum usum duxisse uelit?

2. Apho. Aph. 49 50. De consuetudine sic inquit Hippocrates: Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, & senes, non consuetis fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. At cùm nemo sit hominum, qui inopinatis rerum sortibus non subijciatur, periculosa est unica tantùm consuetudo. Addit ergo Hippo. Oportet igitur ad insueta permutari, mutatio tamen debet esse modica.

1. Aph. 16 Quòd uerò consuetudo longo tempore contracta temerè mutanda non sit, aptißimè Gal. ex ista Hippocratis sententia euincit: Humidus omnis uictus febricitantibus est idoneus: potißimùm autem pueris, & alijs qui ita cibari sunt sueti. Febricitantibus enim, ut inquit, ex ipsa contrariorum indicatione, humidus uictus conducit: Pueris 8. li. met. medend. uerò & alijs, qui tali uictu uti consueuerunt, ex indicatione similium. Vt enim ætas pueris, non morbus, sed secundum naturam est: ita consuetudo ascititiam quandam naturam in corporibus gignere solet, cui contraria dedisse inprimis est noxium: gaudent enim naturæ consuetis semper. Ergo assuetudines tametsi prauæ sunt, tempore

ægritu-

ægritudinis non sunt mutandæ. Immo nec per summam sanitatem semper id tentandum est, sed tum cùm à negotijs maximè liberi sumus. 5. lib. de tuen. saŋ nit. Gal.

Ad consuetudines etiam naturarum proprietates pertinent, quas recentiores Medici, Naturas specificas, aut insequentes materiã appellãt. Secundum quas quidem proprietates (ex Galeni sententia) alij semper ad alios cibos, & potus recte se aut nõ rectè habent. Et in hoc certè falluntur nonnulli, ac imprudenter operãtur, qui exhibent uinũ, aut aliud quippiam secundũ proprietates specificas alicui contrarium, quamuis cognouerint illud, secundũ qualitates manifestas cõuenire. Proprietas enim in omnibus, siue specifica, siue insequens materiam, est super omnes dispositiões manifestas obseruãda. Et hoc est quod Hippocrates ait: Parum deterior cibus & potus, delectabilior uerò melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus: Atq; in hoc experimentum uincit rationem. 7. art. curati. lib. 2. Aphorism. 38.

## DE POTV.

Dicto compendiosè de ratione cibi, quo substantia sicca è corpore nostro effluxa restauratur: Nunc breuiter dicendum est de potu, qui substantiam corporis humidam effluxam restituit, tametsi sint, qui esse ipsum uehiculum tantùm cibi existiment.

## DE POTIONIS MODO.

7. li. met. medend. Potionis, si Galeno credimus, is modus erit, ut nec in uentriculo innatet, nec fluctuationis ullius sensum inuehat. Illico etiam post cibum antequam concoquatur non bibendum est, siquidem innatant cibi si bibant, ita ut eos uentriculi corpus propter interpositum humorem non contingat: ueruntamen, si sitibundus quis fuerit, prohibere eum in totum, ut graue est, ita nec expediens: sed tantillum indulgendum est, quod & desiderium soletur, & sitim leuet. Posteaquam uerò nutrimentum concoxerit, abundè bibere sinendus est, quippe celerrimè, si ita fecerit, per corpus alimentum distribuitur, id quod extenuatis cumprimis conducit. Qua de re potum hora cibationis, non in quantitate continua, sed discreta, non una, sed pluribus uicibus assumere expedit.

Potus uerò tum substantia tum qualitate eiusmodi esse debet, ut præcordia celeriter transiens, non diu in uentre fluctuet.

## DE AQVA.

Aqua quidem optima est fontana recens: Cuius nulla qualitas uitiosa aliunde sit contracta, cuius fons ad orientem solem erumpit, quæq; per meatum aliquem mundum, aut puram colatur terram, quæq; calefit, refrigeraturq; ocyßimè. Cauendæ uerò sunt aquæ, quæ ex stagnis hauriuntur,

tur, & quæ turbidæ, & quæ malè olentes, & quæ salsæ: Deniq; in quibus qualitas aliqua gustu deprehenditur: quando quæ optima est, non gustui modò horum, uerumetiam olfactui omnis qualitatis expers uidebitur. Eadem quoq; tum potui iucunda erit, tum planè pura. Quòd si præcordia quoq; celeriter transit, nihil est quòd magis idoneam requiras, quando si qua pura lympidaq; est, nec potu insuauis, nihilo secius tamen circa præcordia hæret, hæc uitio non caret, atq; abstinendum ab ea censeo, utiq; cùm prorsus est frigida, à calefacta nõ deterreo. Tutißimũ tamen fuerit experientia ipsa de eiusmodi aqua iudiciũ (fieri.

Gal. 1, de sanitate tuenda.

DE VINO.

Vinum haud ita omnibus sicuti aqua cõducit: quam enim iam optimam iudicauimus aquam, hac uti puero, iuueni, seni (uelut & de aëre dictum est) cõducet: Vino autem alijs aliâs pro ætatis ratione uti expedit. Sciendum enim quòd uinum calefacit & humectat, cuius rei gratia pueris, qui calido humidoq; sunt temperamento, minimè conducit. Nam præterquam quòd nihil cõmodi ex uini potione sentiunt, etiã læduntur, eo quòd non solùm plus æquo calefiunt humectanturq;, sed etiam quia caput ijs halitu repletur, sicuti & alijs omnibus qui calido humidoq; temperamento sunt prædicti.

Quare neq; adolescentibus uinum nisi modicè

sumptum utile est, quod uidelicet & ad iram & libidinem eos præcipites facit, et animi rationem hebetem turbidamq; reddit. Cùm autem sit omnis excessus fugiendus, maximè hunc fugere expedit, ex quo non corpori modò, sed etiam animo damnum accedit: Senes autem quia frigido siccóque temperamento sunt, omnium commodissimè uino utuntur.

## DE VINI IVVAMENTIS.

Iuuamenta uini sunt humectare ac nutrire quicquid immodicè siccatum est (siue ex immodicis laboribus, siue ex proprio ætatis temperamento siccitas prouenerit) Bilis amaræ acrimoni-
12 li. art. curat. am mitigare ac frangere, per sudores urinasq; eandem uacuare: Ea quæ in uentriculo aut uenis sunt, concoquere: Vires organorum augere: Excrementis expellendis uiam facere, & cùm uina boni succi sint, corpus nutrire: quorum tamen iuuamentorum penè nullo egent pueri.

Porrò uina ualidißima sunt, quæ plurimum aquæ in mixtura sustinent, eáque mox colore flaua, ætate uetera, bonique odoris esse solent: Quæ uerò paulò minus calida existũt, fulua sunt: Quæ adhuc plus à uehementia caloris recedunt, rubra ac dulcia sunt: quæ uerò colore alba & aquosa
Gal. li. 12 metho. meden. conspiciuntur, omnibus minus calefaciunt, & quasi media inter aquam & uinum uidentur.

Austera uina roborant quidem uentrem, ca-

putq;

putq; inter omnia minimè tentant, cæterùm digestionem in corpus non festinant.

Vinum substantia tenui & qualitate calidũ, conducit phlegmaticis crudos humores habentibus, ob idq; syncopisantibus. Vinum uerò substantia grossa confert macilentis, qui impinguari desiderant, Cauendum autem ne opilationes inducat.

Ieiuno præterea stomacho uina communiter cauenda sunt. Quemadmodum autem diluenda sint uina ratione temporum, dictum est suprà, de cibandi tempore. Breuiter cuiq; usu obseruanda est sua consuetudo. Sunt enim, quibus caput ob imbecillitatem, si uel paulò meracius biberint, statim tentatur: Rursus sunt, qui meraciore adeò delectantur, ut si dilutius biberint, eorum stomachus subuertitur. Vetus uerò uinum adeò sitim non extinguit, ut inexhaustam etiam sitim generet. Quidam enim ueteri uino obrutus ac inebriatus, siti perijsse legitur. Et immoderatius ingestũ, præter cætera nocumenta, etiam Apoplexiam, morbum comitialem, & id genus alios morbos frigidos excitabit, calorem innatum suffocando.

## De tertia re non naturali.

## DE REPLETIONE ET Euacuatione.

Dixi hactenus nonnihil de primo sanitatis tuendæ, scilicet de refectionis eius, quod è corpo-

re effluxit, modo. Nunc breuiter dicendum est aliquid etiam de altero conseruandi sanitatem modo, qui per excrementorum, quæ per concoctionem collecta sunt, expulsionem fit.

De repletione, quòd uitanda sit, dictum est suprà de cibi quantitate: quia omnis immoderata repletio, siue ad uasa, siue ad uirtutem, siue ex potu, siue ex cibo pernecabilis est.

Hîc præter dicta obiter notandum, duplicem esse repletionem: unam recèns factam, alteram paulò antè factam. Recèns factam repletionem uoco, quando quispiam se nimio cibo & potu sic repleuit, ut grauem se crudumq; sentiat. Et ista quidē repletio per purgantia pharmaca, ut nōnulli ignorantes faciunt, haud curanda est, sed potius per abstinentiam, per deambulationem, per somnum multum, & his similia, donec cibus ad inferiora descenderit. Tum enim adiuuari potest, aut glande subdita, aut leui per inferius infusione.

4. lib. de sa. tuen. Nam si crudi humores in corpore collecti, ad motum pigri, & ad expulsionem inepti, ob crassitudinem frigiditatemq; sunt, quanto magis cibi nondum in uentriculo confecti, neq; in humores conuersi. Vbi igitur cruditas in corpore est, alui deiectio plus periculi, quàm iuuamenti adfert: preterquàm enim quòd nec notatu quippiam dignum educit, etiam tormina, rosiones, & animi

deliquia creat: id quod Hippocrates illo oracu- 1. Apho.
lo præcauit, quo breuißimè præcipit, Concocta 22.
medicamento tentanda esse, non cruda &c.

Paulò antè facta repletio est, quando cibi & potus longo temporis spacio in humores conuersi, ac per calorem innatum, iam nonnihil concocti sunt. Et huic quidem repletioni conuenit Euacuatio, quia rectius non curatur, quàm euacuatione. Hanc duplicem repletionem innuit Hippocrates illa sententia: Sudor multus ex somno factus absq; causa manifesta &c. (4. Apho. 41.)

## DE EVACVATIONE.

De euacuatione sciendum, quòd Hippocrates Euacuationem simpliciter uocare solet, quando humores omnes æqualiter euacuantur: Purgationem uerò appellare, quando humores praua qualitate affecti educuntur. Vbi enim æqualiter inter se succi sunt adaucti, id & plethoran Græci uocant, nos plenitudinem, & succorum redundantiam dixerimus: Vbi uerò uel flaua bili, uel nigra, uel pituita, uel serosis humoribus refertum corpus est, eum habitum cacochymian, quasi succorum uitium dicas, nominant. (2. Apho. 17. Gal. lib. 13. meth. meden.)

Ergo plethora tum sanguinis mißione scarificationéue curatur, tum frequenti balneo: tum exercitatione: tum frictione, præterea digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia, ex accidente inedia.

Succorum uerò uitium, purgatione, quæ cuiq; superanti succo sit accommodata, corrigitur.

Cùm autem purgantium medicamentorum usus, sanitatis tempore rarus esse debeat, nec nisi ualde indigentibus, & ex longis interuallis utilis sit (nam earum, quæ quotidie generantur in corpore, superfluitatum euacuatio plerunq; minor est, quàm ut purgantis pharmaci operationem exigat) non erit nunc de ijs locus.

Sed breuiter notandum, cùm eorum quæ è corpore excernenda sunt, uariæ ac multæ sint species, non solùm uacuationem secundum easdem uariandam esse, sed unumquodq; etiam excrementum, per conuenientem regionem, ac propriam à natura sibi ordinatam uiam, excernendum esse.

Sunt enim excrementorum species: Aliæ quidem eorum, quæ in uentre perficiuntur, & à syncero separantur, ac per omnia intestina paulatim impulsa, tandem per secessum excernuntur. Aliæ uerò eorum, quæ in iecinore perficiuntur, & est aut flaua, aut atra bilis, quæ & per aluū, & per uomitum expurgari possunt. Cæterùm aptior est uacuatio per aluum, tanquam usu iam callentibus intestinis iecinoris superflua tolerare. Aliæ eorum, quæ in arterijs & uenis, & est urinalis aquositas per renes ad uesicam transmissa. Aliæ eius, quod per singula membra distribuitur, alimenti, & est partim sudor, partim ma-

Gal. lib. 7. meth. meden.

teria.

teria, quæ per omnes exiguos corporis meatus seu poros euaporat, ac per occultam transpirationem euanescit, quæ ut sensum fugit, ita & nomen non habet. Sunt præterea tamen partes, quæ præter hos latentes meatus alios quosdam apertos & conspicuos obtinent: Sicut cerebrum propter suam eminentiam plurimis maximisq; canalibus expurgatur: primùm per nares & palatum: secundò per utranq; aurem: tertiò per caluariæ cõmissuras: nec absimile est, etiam aliquid ab eo confluere ad oculos. Oculus uerò, quò probius munus suum obeat, per euidentes meatus eijcit quicquid in eo excrementi gignitur, nempe per nares, genasq;. Sic pulmo per sputum ac tußim præcipuè expurgatur.

Gal. 1. de san. tuẽ.

Porrò omnium excrementorum retentorum commune hoc documentum est: Quòd retentionis causæ semper contraria causa admouenda sit: Exempli gratia, Si restricta aluus fuerit ob comestorũ paucitatem ac siccitatẽ, ut tum plura, tum humidiora exhibeamus: Si uerò ob siccitatẽ tantùm, non quidem plura, sed humidiora offeramus: Si ob comestorum austeritatem & acerbitatem, dulcibus & pinguibus cibabimus.

Quòd si in ordine ciborum erratum est, ut si ea, quæ adstringunt siccantq; primo, quæ uerò humida, dulcia, ac pingula sunt, secũdo loco sunt

comesta,

comesta: tunc corrigendus error, & mutandus ordo est.

Si uerò ob utendi modum, ut si cùm bis edendum erat, tantùm semel comedit, non bis tantùm, sed & sæpius cibabimus.

Deinceps, si excrementi mora, ob uentris intestinorumq; intemperiem quandam euenerit, considerandum est, an naturalis, aut recèns contracta intemperies sit. De naturalibus quidem hîc nihil agetur.

Recentium uerò intemperierum octo sunt differentiæ, quatuor simplices, ut calidæ aut frigidæ, humidæ aut siccæ: Et quatuor compositæ, ut calidæ & humidæ, calidæ & siccæ, frigidæ & humidæ, & frigidæ & siccæ.

Quæcunq; ergo ex his recèns contracta intemperies, siue simplex, siue composita fuerit, cum contrarijs sibi remedijs reducenda ad æqualitatem est, qua in re peritus nonnunquam ac fidelis aduocandus est medicus.

Sic de reliquorum excrementorum in corpore retentorum speciebus haud dißimile esto iudicium.

## DE VOMITV.

Bene inquit Galenus, Antiqui medicorum simul cum alijs documentis ad sanitatem tuendam pertinentibus, à cibarijs uomitum singulo

5.lib.de usu par.

mense fieri consulebant: ij quidem semel sufficere æstimantes: ij autem etiam bis fieri dignum putantes: Omnes tamen hi qualitates ipsas comestorum acres, & abstersorias eligere consulunt, ut totũ phlegma uentris expurgetur, & nihil cacochymia lædatur corpus. Frequens tamen & laboriosus uomitus, omnibus ferè hominibus cauendus est, præcipuè uerò ijs, qui stricto pectore, & ad sanguinis reiectionem per os parati sunt. Nocet enim pectori, auribus, oculis, dentibus, & capiti, nisi ob stomachi repletionem caput sit læsum.

## DE PHLEBOTOMIA ET scarificatione.

Venam per annum sæpius incidere haud competit: unà enim cum sanguine uitalis spiritus excernitur, qui si copiosius absumatur, fit ut tota moles reddatur frigidior, operaq; naturalia deterius perficiantur. Quamobrem à minus principalibus, puta cruribus detractatio cum scarificatione facienda est.

Vbi tamen magni cuiusdam morbi metus immineret, cum uirium robore, florenteq; ætate, tutò sanguis mittendus esset.

In hoc tamen consideranda est naturalis hominis temperies. Nam quibus amplæ sunt uenæ, qui q; modicè graciles sunt, nec candidi, nec tenera carne præditi, securius sanguinis mißione utuntur.

ex li. Gale. de hyru. & reuul. cucurbitula & scarificat.

Gal. in li. de ra: curandi per san. miss. & 3. li. de locis affe.

tuntur. Contrarij uerò minus tutò, quippe quæ exiguum sanguinis habeant, carnemq; facilè transpirabilem: cuius rei gratia nec pueris uenam secare tutum est, usq; ad quartumdecimum ætatis annum. Qui igitur nigriores natura sunt, crassiorem sanguinem, ac magis melancholicum colligunt, magis uerò si etiam magnas habere uenas conspiciuntur, ac corpore hirsuti sint, ij secta uena iuuantur. Qui uerò albidiores natura sunt, & carnosi, & paruas uenas habentes, sanguinem plerunque tenuem aceruare solent, quocirca ijs malleolos aut poplites scarificare, quàm uenam incidere, præstiterit.

Senibus præterea uenam incidere periculosum est: Aetas senilis tamen, non annorum numero solùm, sed & corporis habitu æstimanda est. Sunt enim qui septuaginta nati annos, uenæ sectionem adhuc perferant, cùm rursus sint, qui ne sexagesimo ætatis anno ferant. Si igitur uires robustæ adfuerint, quas pulsus uehemens cum æqualitate indicare infallenter solet, uel septuagenarijs (si affectus iubeat) uenã secare par est: minus tamen utiq; ijs detrahendum est sanguinis, quàm ætate florentibus, tametsi affectio sit utrisq; æqualis.

## DE BALNEIS.

2. apho. Com. 17. Balneæ, quia per cutem æqualiter corpus euacuant, rectè ad sanitatem tuendam nonnunquam

adhiben-

adhibentur. Et quamuis parua sit, quæ per balneas fit, euacuatio, tamen à Galeno omnes penè euacuationes, quibus Medici circa ægrotantium corpora utuntur, recensente, etiam balneæ inter ipsas adnumerantur, tutiusq; crebro, quàm purgantia pharmaca adhibentur. Raró autem lauacro utuntur homines (si Hippocrati credimus) quòd ipsum præparare nesciunt. Balneæ nanq; si ueterum Medicorum ritu instituuntur, quatuor partibus uaria facultate præditis constant: ob idq; Gal. rectè easdem calidæ intemperiei hecticisq; febribus duplici ratione, tam per se, quàm ex accidente, prodesse autumat. 3. Apho. Com. 15. 4. Aph. Com. 2. 3 l. de ui. ra. in mor. acu.

Primùm enim homines balneandi, in aëre uersari calido debent: Postea in aquā calidā descendere (lauacrū uocāt) mox ab hac egreßi in frigidam: postremò sudorē detergere. Quib. n. omnia ritè adhibita sunt, ij post frigidæ usum adhuc sudant, & omnia ipsis excrementa euacuātur. Præcipuè aūt uacuatur per balneas, quicquid in corpore uel fuliginosum uel fumidū fuit. Cōsistunt autem in naturali symmetria tum caro ipsa tum cutis. Solidarum partium ariditas corrigitur, & calor nō modò is, qui ex lauacro acceßit, uerum etiam qui prius fuit ex frigidæ usu, summouetur. 10. lib. met. medend.

Hæc quidem commoda balneas aquæ dulcis potabilis sequuntur.

Aquæ uerò naturaliter calidæ medicamento-

se

ſæ(quas thermas uocant) ſiue marinæ atq; ſalſæ fuerint, ſiue nitroſæ, ſiue ſulphureæ, plus quidem bilis educunt, quàm dulces, Sed non ita humectant, neq; proſunt: Imò qualitate ſua nonnunquàm plus nocere, quàm euacuationibus iuuare conſpiciuntur, uti Galenus teſtatum reliquit, de quodam, qui corrupto iudicio ijs balneis uſus, ad tantam corporis extenuationem ac perniciem
3.lib.de ſa.tuen. peruenit, ut tabe conſumptus interiret. Dulcium autem calefactarum aquarum, ſi media temperie ſint, uis calida & humida eſt: ſin tepidiores ſint, humida & frigida: Quòd ſi iuſtò calidiores fiant, calida quidem, ſed non perinde humida uis eſt. Qui carnis augendæ gratia balneantur, ſicut macilenti, & qui atrophia uexantur, nullumq; ex cibo fructum ſentiunt, poſt comeſtionē, facta tamen prima & ſecunda concoctione, balneas ingredi debent, ac tantiſper in ijs morentur, donec membra ac uenæ in tumorem attollantur, & antequàm decidat tumor egrediantur, ne id, quod attractum eſt nutrimentum, reſoluatur.

Qui uerò gracilis eſſe cupit, ieiunus ac famelicus balneandus eſt, calidè magis quàm frigidè, moreturq; in lauacro, donec tumor ac uenarum inflatio minuatur, ac poſt exitum dormiat.

## DE CAPITIS LOTIONE.

Caput uerò lauandum eſt cum aqua aut lixiuio

uio ualdè calido, quantum quis tolerare poterit, ne superfluitates ob tepiditatem, aut frigiditatem in capite retineantur, moxq; pannis calidis caput exiccandum est.

## De quarta re nonnaturali.

## DE MOTV ET QVIETE.

Motus quidem omnis calefacit corpora. contrà uerò quies refrigerat: Hæc calidis, ille frigidis naturis ex usu est.

Non omnis motus ex æquo omnibus exercitatio est: Idem enim motus, alteri potest exercitatio esse, alteri uerò non.

Is uerò motus exercitatio dicitur, qui anhelitum crebriorem citatioremq; reddit. Omnium exercitationum utilißimæ hæ esse probātur, quæ non corpus solùm, sed & animum oblectare poterunt: Hinc admodum sapienter fecisse uidentur, quicunq; uenationes aliasq; animalium capturas excogitarunt.

Excercitationis iuuamenta licet multa sint, tamen tria præcipuè numerat Galenus, quibus reliqua priuatim commoda accepta referuntur. 2. lib. de sanit. tuenda.

Primum est membrorum durities, ac robur ex mutuo eorum contritu eueniens.

Secundum innati caloris augmentum.

Tertium spiritus citatior motus.

Porrò, ex membrorum duritia utiq; sequitur, tum ut minus ex labore membra afficiantur, tum ad labores robur.

Ex calore augmentato uerò omnes corporis uirtutes seu facultates, præsertim naturales, uegetiores redduntur. Atq; adeò tum ualidior fit deducendorum in corpus attractus, tum immutatio magis expedita, tum nutritio magis felix.

Ex spiritus uerò ualentiore motu, & purgari omnes exiguos corporis meatus necesse est: et excrementa expelli.

Si igitur hoc præstat exercitatio: siq; impura, atq; ab excrementis parum mundata corpora, quantò magis nutriuntur, tantò magis læduntur: utilius certè est, Ante cibationem omnem adhibere exercitationem. Id quod & Hippocrates his uerbis indicat, labor, cibus, potio, somnus, uenus, omnia mediocria: Singulorũ enim mediocritatem seruandam esse, per epitheton mediocria præcipit. Tempus uerò ipso sermonis ordine definiunt, interpretante sic Galeno. Quod idem Hippocrates clarius sic ostendit, labores inquiens, cibos præcedant. Ex his manifestũ est, prauã atq; erroneam esse in omnibus fermè gymnasijs literarijs consuetudinem: ubi literarũ studiosa iuuentus, nunquam penè nisi ab assumpto statim cibo, corpora exercitare solet, Sicut enim maximi momenti ad sanitatis tutelam est exercitium ante cibos, ita perniciosissima res est, omnis post cibum motio: distribuitur nanq; tum cibus ex uentre per omne corpus priusquam concoctus ac utilis factus sit, &c.

2. Apho. 10.

Gale. lib. de boni ac mali succi.

Com-

Cõmodißimum ergo ad exercitationem tẽpus est, cùm hesternus cibus prorsus iam duplici concoctione sit confectus, ea uidelicet, quæ in uentre, et ea quæ in uasis sanguinis agitur, ac iam denuò cibandi tempus instet, Nam si aut prius, aut posterius exercitatione utêre, aut crudis hominem impleueris, aut pallidæ bilis prouentum auxeris. Sanè huiusce temporis nota, color propriæ urinæ cuiq; esse poterit. Vrina nanq; quæ aquæ speciem præfert, crudum adhuc in uenis esse succum eum indicat, qui à uentre submittitur. Quæ uerò ruffa biliosaq; est, iamdudum concoctũ esse huiusmodi succum: quæ modicè pallet peractæ iam iam secundæ concoctionis est signũ: cùm nanque bili infecta urina nondũ est, aquæ speciẽ alboremq; præfert. Cũ uerò plus iusto eius bilis acceperit, ruffa cernitur: Ergo cũ mediocriter est ruffa, mediocritérue pallens, tum est exercitatio adeunda: Expulsis tamen prius excrementis, quæ uel in uesica, uel in inferiore uentre cõtinentur, ne quid ex his ui caloris (qui per exercitationem accenditur) in habitum corporis rapiatur.

2. de tuenda ualetu.

Hæc de exercitationis tempore iam dixisse satis sit. Quod autem ad exercitationis quantitatem seu mensuram attinet, sciendum quòd tum demum à motu desistere fas est, quando uel tumor corporis detumescit, uel coloris pulchritudo & rubor mutatur, aut cùm ex motu, uel

2. Apho. laßitudo uel sudoris copia sequitur : id quod
48. Hippocrates partim in Aphorismis testatur, par
6. Epi p. tim in sexto Epidemiorum libro , quem nostra
8. Aph. 5. tēpestate Leonhardus Fuchsius, Medicus, omni et bonarum literarum & rerum cognitione insignis doctißimè felicißimeq; interpretatus est, cùm enim primùm lassari cœperit corpus, confestim quiescendum est.

Qualitas etiam exercitationis corpus alterare potest. Motus nanq; in quibus ualidißimè ocyssimeq; corpus mouetur, gracile, musculosum, durum, compactum, ac uegetum corpus reddunt: contrà uerò remißi, tardi ac languidi motus planè diuersum à prædicto, languidum uidelicet, ac molle corpus efficiunt.

DE QVIETE.

Esse quosdam eorum qui florente ætate sunt,
4. p. 6. li. qui quietem postulant, testatur Hippocrates in
sen. 13. libro de uulgo grassantibus morbis, ubi calidas naturas quiescere censet. Magnæ enim flammæ, eius quod calorem accendat minimè egent, cùm satis ipsæ sibi ad tutelam sint, & ut materiæ dominentur. Vnde præclarè Galenus: Illud multo
5. de san. maximè inquit, mirandum est, Cùm Hippocrates
tuenda. moneat, calidis naturis utilius esse in ocio agere, quàm exercitari, non paucos tamen medicos esse, qui ne norint quidem, cuiusmodi tales homines sint: sed omnibus iuxtà exercitationes iniungant.

Non tamen ignorandum est, quòd Hippocra


stes per ocium, non planè intelligat desidiam, quæ nusquam in totum adiutus quisquam est: sed cũ quietem ægre calidis naturis suadet, uehementẽ motione uti uetat. Qui enim calido & sicco sunt temperamento, ob uehementes motus plerunq; in æstate biliosos morbos incurrunt: Intermißis uerò immodicis laboribus sani seruantur.

Similiter etiam à cibo tum animi tum corporis quies habenda est.

## DE FRICTIONE.

Quia corporis frictio eandem ferè cum exercitatione uim habet, rectè de ea hoc in loco agitur. Debito enim modo adhibita uitale robur excitat, & modicè calefacit, unde fit ut distributio alimenti sit facilior, & nutritio promptior. Nã multi, quorum corpori longo tempore ex alimento nihil accesßit, ἀτροφοῦντας Græci uocant, commoda frictione adhibita, paucis diebus carne impleti sunt.

Frictionis quatuor præcipua sunt genera.




Expedit autem uarium in frictione fieri manuum iniectum et circumactum, quo uidelicet u-

niuersæ musculorum fibræ, quoad fieri potest, omni ex partè fricentur.

Porrò apud ueteres frictionum plurimus erat usus, adeò ut nemo etiam ex iuuenibus prius exercitaretur, quàm frictus oleoq; inunctus fuisset. Nostro uerò seculo tum potißimùm eius usus est, quando uel ob impeditum motum, uel aliam quamcunq; causam exercitatio fieri nequit, supplet enim uicem exercitationis. Frictionis quantitas, qualitas, ac tempus eundem penè scopum, quem exercitatio & balneæ, habent.

2. San. tuenda.

His enim qui carnis augendæ gratia fricantur, tunc planè finienda frictio est, cùm corpus & intumuit, & ad summum ferè tumorem peruenit. Qui autem ad exercitandum iam præparantur, his minimè id tempus operiendũ, sed longè prius desistendũ à frictione est, potißimùm si optimi temperamenti & ætate pueri sunt.

Qui uerò carnis minuendæ causa fricantur, eatenus fricandi sunt, donec corporis tumor decumbat, molesq; deponatur: primùm nanq; corpus attollitur, deinde fit gracile, ueluti si aquam calidam infundas, primum quidem corpus intumescit: si largius infundas, decumbit: ita & frictio quoq; attollit quidem primùm, postea contrahit ac molem deponit.

Postremò quia frictio uacuandi uim obtinet, maximè confert ijs qui prauis simul ac crudis humoribus

humoribus oppleti syncopizare solent, cuiusmodi nonnullos uidi. Hi sanè uacuari postulant, uerùm neq; uenæ sectionem, neq; alui deiectionem citra noxam ferunt: Nulla igitur alia ijs uacuatio excogitari potest commodior, quàm ea, quæ ex frictione paratur. Gal. lib. 12. meth. meden.

## De quinta re non naturali.

### DE SOMNO ET VIGILIA.

Somnus utrunq; ferè sanitatis tuendæ modum adiuuare uidetur. Primum restitutionis modum, quia per somnum spiritus resoluti regenerantur, & calor & humiditas radicalis conseruatur augeturq;.

Alterum uerò qui per excrementorum expulsionem fit, quia neminem latet, toto hoc tempore, quo quis dormit, animalem facultatem quiescere, Naturalem uerò ualidius agere: ob id in somnis longioribus superfluitates expurgantur, quæ quidem exquisitè extenuantur per cutem, quæ uerò in uapores conuertuntur, per expirationem, quæ uerò sufficientem habent craßitudinem, per urinas. Gal. in l. de morbo. causis. 1. Apho. 15. Gal. de morb. causis.

Experientia enim uidemus, quòd somno conuenienter facto, omnes ferè corporis superfluitates per suos meatus ritè expurgantur, siue id ob naturam fortificatam contingat, siue ob materiam esse concoctam. Optima enim fit per somnũ,

non solùm in uentriculo, uerùm per uniuersum etiam corporis habitum concoctio: & sunt qui præcipuum esse somni officium putant adiuuare concoctionem. Siquidem multæ uigiliæ cibos potusq; tum crudos, tum incoctos reddunt. Ad hæc, quia per somnos quiescit prima sentiendi uis, quæ non in corde, ut Aristoteli, sed in cerebro residet, ut Galeno Medicorum principi placuit: qua de re temperatus somnus, non solùm corporis, sed & animi sanitatem conseruat, eiusq; morbis, uti Phrenitidi, Melancholiæ, amentiæ, & similibus mederi solet. Vigiliæ uerò, quia somno planè contrarium effectum obtinent, corpusq; exiccant, omnibus tum morbis, tum naturis siccis aduersißimæ sunt. Vt autem somnus sit temperatus, quatuor breuiter obseruanda sunt. Primum Tempus, secundum Locus, tertium Corporis situs, quartum Somni quantitas.

Hipp. 2. reg acc. ult. de mor. ed.

## DE SOMNI TEMpore.

Dicit Hippocrates ad hunc modum: Quod uerò ad somni rationem pertinet, quemadmodum sani solent interdiu uigilare, noctu uerò dormire oportet; A qua consuetudine si quis aberrauerit, peior erit somnus, qui inter quartam horam, & noctem, quàm qui matutino tempore fit. Peßimum tamen est, si somnus neq; noctu, neq; interdiu

2 præsa. 11. & 12.

diu accedit, id enim uel ob dolorem laboremq; accidit, uel delirium futurum significat. Ex quibus Hippocratis uerbis manifestum est, aptißimũ pro somno tempus, ob tranquillitatẽ eius, noctem esse; quã si quis insomnẽ transegerit, aptius dormiendo tempus esse matutinũ, minus uerò aptum tempus pomeridianum esse: quia somni tum non quieti, nec sine interruptione fiunt, quod citra digestiuæ uirtutis noxam non contingit, quanquam dandum sit aliquid consuetudini. Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, minus molestare solent insuetis.

Huc pertinet quòd ilico post assumptum cibũ dormire, nocet sensibus, neruis & capiti, multarumq; ægritudinum occasio est: præter hoc, quòd somni sunt inquieti, uanis ac fantasticis somnijs perturbati, quæ ob cerebri repletionem sæpe eueniunt: conducit ergo à cœna unam & alteram horam antea confabulando, aut instrumentis musicalibus, aut aliter lætando transigere, quàm quis somnum admittat. Ieiuno etiam dormire stomacho, corpus debilitat & extenuat, stomachumq; malis replet humoribus. 2. Ap. 50

## SOMNI LOCVS.

Secundò conuenit, ut locus, ubi dormitur, sit subobscurus, à radijs solaribus ac lunaribus priuatus. In caliditate uerò ac frigiditate tempera-

tus aut ſubfrigidus potius, quàm calidus & uaporoſus. Si enim in loco præcalido admittatur ſomnus, periculum eſt, comitari ſyncopim, ob ſomni & caloris extranei mutuam inter ſe pugnam. Spiritus enim & calor innatus propter ſomnum ſuapte natura ad interiora refugientes, ad exteriora, & ad circumferentiam corporis à calore extrinſeco trahuntur.

## DE SITV CORPORIS.

Primus & ultimus noctis ſomnus fieri debet ſuper dextero corporis latere: Medius autem ſuper ſiniſtro, capite ſemper eleuato: quanquam etiam ſuper uentre dormire adiuuat ſtomachũ in concoquendo. In dorſo uerò dormire ſupinè, omnibus malum eſt, quia præparat corpus ad multas & periculoſas ægritudines, ſuperfluitates cerebrales retinẽdo, atq; ab expulſionis uijs auertendo, quæ in anteriori parte capitis exiſtunt.

## DE SOMNI QVANTITATE.

Ga. in li. de ar. cu. per ſan. miß.

Somni quantitas uniuerſis hominibus æqualiter præſcribi facilè non poteſt. Nihil enim eſt, quod artem Medicam ſic coniecturalem reddit, atq; ſingulis in rebus quantitas.

Solum autem optimè temperati abſq; præceptore ſomno modum præfiniunt: Alij autem qui diſtemperati ſunt, egent aut prohibente, aut adiuuante

iuuante somnum, penes quantitatem suorum lapsuum ad calidum uel frigidum, humidum uel siccum &c. In frigido enim & humido corpore, maior solet esse somnus, quàm ut solũ restauret, quod dissolutum est, sed etiam nimia caloris constrictione suffocat & extinguit: In corpore uerò calido & sicco minor est somnus, quàm ut restauret deperditum. Atq; hoc est quod Hippocrates ait, Somnus & uigilia utraq; si modum excesserint, malum.

Tametsi autem sint, qui somni naturalis terminum communiter in septem horarum spacio consistere contendunt: rectius tamen, quod eorum pace dixerim, ex perfecta ciborũ concoctione, quàm ex horarum numero somni terminus sumendus est. Nullum enim est dubium, quin senibus & alijs, qui debili ac frigido sunt stomacho, aut βραδυπεψία, id est, concoquendi tarditate quacunq; de causa laborant, longior somnus sit concedendus.

Ad hæc manifestò nouem horas æquinoctiales somno naturali præscribere Galenus uidetur, idq; non planè liberis, sed aut Romæ, aut in magna Alexandria sic ministrantibus, ut Sole occidente liberè à ministerio recedant, corporisq; curam agant. Nam cùm minima nox (inquit) nouẽ horas æquinoctiales æquet, abundè ijs fuerit, si id totum tempus in somno sumpserint. 6. li. de sa. tuen. Ibidem.

Somni

Somni igitur terminum manifestat perfecta ciborum concoctio. Hanc autem perfectam esse præsumitur, primùm ex stomachi contractione, uentrisq; ob ciborum descensum, mollitie. Postea ex ructuum paucitate, aut saltem eorum insipiditate, deinde ex capitis totiusq; corporis leuitate ac agilitate, Postremò ex urinæ colore, &c.

## De sexta & ultima re non naturali.

## DE ACCIDENTIBVS Animæ.

Gal. lib. de exer. paruæ pilæ.

Adeò potentes sunt isti motus animi, ut multi morbis sæpe ex delectatiõe liberati, multi rursus ex nimia conturbatione, mente capti sint. Nullus est autem corporis morbus tantus, ut uehementior animæ ægritudinibus esse poßit: quapropter minimè sunt eæ affectiones negligendæ, quælescunq; tandem fuerint: Sed tantò diligentior istarum, quàm corporis paßionum habenda ratio est, quantò anima corpore præstantior censetur.

Gal. lib. 12. meth. meden.

Non solùm autem subiti timoris, sed & immodici gaudij seu uoluptatis occasione nonnullos perijsse, non tantùm historicorum, sed & Medicorum testimonio constat: Qua de re manifestũ est sanitatis conseruatori uitandos esse omnes a-

nimi

nimi immodicos affectus, uidelicet iræ, tristitiæ, furoris, timoris, inuidiæ &c. Hæc enim alterant & à naturali statu corpus auertunt. Imò si magnitudine non iugulant, at certè facilè resolubilem, infirmumq́; spiritum reddunt, uiresq́; resoluunt, sicut frequentes uigiliæ. Vehementes sanè animi motus, si modum nimium excedunt, biliosum calidumq́; hominem reddunt, febresq́; accendunt: Sin intra modum nimium subsistunt, pituitosum frigidumq́; reddunt, atque adeò uiscerum obstructionibus, comitialibus morbis, Apoplexiæ, & cæteris frigidis morbis obnoxium efficiunt. Hinc legimus non paucos ægros à Galeno quotannis persanatos esse solis animi motibus, ad debitum motum reuocatis.

Reuocantur autem uehementes animi motus ad mediocritatem, tum per non spernendam artem Musicam, instrumentaq́; Musicalia, tum per histriones & mimos, & cantilenas ridicularum rerum. Quo nomine, non temerè, nec sine singulari consilio, aut prudentia factum esse arbitror, quòd in omnium ferè Principum aulis, id genus moriones alantur, qui facetè suis dictis aut factis Principum ac magnatum animos, ob uarias rerum publicarũ curas seueriores, mulcere atq; ad mediocritatem reducere queant: Id quod Aesculapius totius ferè Asiæ numen, primus instituisse fertur. a. de tuen. san. lib. Gal.

Rursus

Rursus quibus segniores deiectioresq; animi motus sunt, illis profectò, non solùm uenandum, equitandum, & in armatura exercitandum, uerumetiam & uenationis & armorum & motuum species definienda est.

Non enim pari modo excitatur animi uis, quādo leporem, aut capream, & id genus fugacia, ac timida animalia sectamur, atq; ubi cum apris, ursis, tauris, & id genus robore præualentibus feris agitandis sumus attenti. Nec similiter cùm in leui armatura, & graui exercitamur, nec pariter cùm citato cursu dimouemur, & cùm mediocri motu agimur, nec ubi cum alijs cōtendimus, aut ubi soli agimus: Iam ubi clamore, an tacitus ad labores inhorteris, irritesq;, non parum interest.

Breuiter, Vnus quilibet immoderatus animi affectus, cum contrario sibi affectu corrigendus est: Perpetuò nanq; certa atq; rata hæc regula est, Contraria contrariorum esse remedia, non solùm in elementarium qualitatum, uerumetiam in omnis alterius rei excessu.

## DE VENERE.

Quia usus uenereus ab'q; imaginatione fieri posse non uidetur, solent ipsum Medici animæ accidentibus annectere, deq; eo hoc loco nonnihil dicere, quanquam non absurdè & inter euacuationes numeretur.

Innoxia autem his tantùm Venus est, qui calidi natura sunt, & humidi, tum uerò qui genitura naturali abundant, Maximè uerò aduersa res est ijs, qui frigidi sunt ac sicci.

Præterea Venus, non sicut cibus & potus, somnus & uigilia, & exercitium, & cæteræ res nõ naturales, cuiusq; est ætatis, sed tantùm ætate florentium est: Quæ enim hanc uel præcedunt, uel sequuntur ætates, aut planè semen non effundũt, aut certè malè fœcundum effundunt.

Tempus uerò ad utendum Venere oportunum est, quando in omnium excessuum mediocritate corpus constitutum fuerit, quando scilicet nec supra modum plenum, neq; uacuum extiterit, neq; nimio calore aut frigore, neq; nimia siccitate, aut humiditate affectum fuerit.

Quòd si in his alicubi aberrare contigerit, enitendum est, ut excessus sit exiguus. Deinde sciendum, quòd tolerabilior tamen excessus sit, si calefacto potius quàm infrigidato, et pleno quàm uacuo, & humecto potius, quàm exiccato corpore uenereis utamur, eò quòd cruditas & repletio facilius tollitur, quàm marasmus, phthisis, aut arefactio corporis. Gal. in 3. techni.

Tantum demũq; interualli in uenereorum usu adhibendum est, ut neq; resolutio aliqua inde sentiatur, & homo seipso quodammodo leuior sibi factus, ac melius spirare uideatur. Sic enim

uenereorum

uenereorum usus corpus alleuiat, animam exhilarat, iram ingentem remittit, & plerasq; phlegmaticas, melancholicasq; ægritudines aufert, uertiginemq; tollit seminis, uidelicet fumos à cerebro expellendo.

Tempus uerò ad prolem procreandum aptissimum est, uel incipientibus, uel cessantibus mulieris menstruis, id enim conceptionis tempus est. Cùm enim fœmina conceptura est, acetabula, hoc est, uenarum ora, per quæ singulis mensibus sanguinis superfluum in uterum deriuatur, mensesq; expurgari solent, aperiuntur: quamuis autem reliquo toto expurgationis tempore aperta ora hæc sint, non tamen tunc concipere mulier ullo modo potest, cùm semen nequeat in matrice remanere, sed ab influentis sanguinis copia eleuatur. At cessantibus uel incipientibus menstruis, & ora aperta sunt, & menstruum non multum, neq; uniuersum, sed paucum et paulatim effluit, quasi humiditate quadam insudante, unde efficitur, ut ob asperitatem matricis semen adhæreat, satisq; alimenti ex sanguinis confluentis paucitate habeat: Antè enim quàm menses ueniant, conceptus fieri propterea non ualet, quia & alimento caret semen, & adhærentiam nullam inuenit. Et Hip. Post muliebria inquit, uel dexter, uel sinister uteri sinus hiat. (Gal. lib. de uul. disse.)

Ad hæc tam mari, quàm fœminæ commodissimum

mum est post congressum Venereum somnum ad mittere: mari quidem, ut laßitudo quæ Venerem comitatur, dißipetur, uiresq; resumat: fœminæ uero ut semen genitale eò facilius retineat. Tametsi autem ex retento semine longè maior, quàm ex menstruis mulierum noxa uniuerso corpori accedere poßit: ex immoderato tamen Venereorum usu grauius, quàm ex eius intermißione, corpus lædi posse existimandum est.

A Venere nanq; et laxius corpus et frigidius & imbecillius & siccius efficitur. Nulla prætereares est, quæ sic debilitet senescereq; corpus faciat, atq; immodicus creberq; Venereorum usus: quippe unà cum seminali humiditate uitalis spiritus ex arterijs euacuatur, ut minimè sit mirum, intemperãtius coëuntes, & imbecilliores effici, & uoluptate immodica accedente, quæ ipsa per se uitale robur dissoluere potest, nonnunquã subitò interire posse. Itaq; si omnibus in rebus modus seruandus sit, ut Hippocrati placet, profectò in Venereorum usu sapientis hoc dictum, ut ne quid nimis, sedulò obseruandum est, præcipuè tamen infecti aëris tempore.

Multis præterea conducit post iustum cibi modum aliquid eorum accipere, quæ stomachum roborant, cuiusmodi sunt austera ferè omnia, ut mala, pyra & punica: nam eiusmodi horum usum uentrem soluere experientia cõpertum est.

Non tamen multum de horum singulis pro uice sumendum est, sed quantum imbecillitatem stomachi reficere queat. Nullum autem medicamentum admodũ calidũ, quod ad cibi distributionem uehementer faciat, post cibũ sumendũ est: Non enim distribui, tum quæ sumpta sunt, sed cõcoqui est utilius. Satius ergo fuerit ijs, qui externo aliquo præsidio ad concoctionẽ egent, hoc tempore exhiberi medicamentũ, quod ex tribus piperũ generibus fit, Diatrion pipereon uocant, nõ medicamentosum illud ex uarijsq; cõfectum, sed simplex.

4. sanita. tuenda.

Cuius compositio talis est. ad cuiusq; trium piperum drachmas quinquaginta abundè adduntur anisi & thymi & gingiberis, singulorum drachmæ aliàs octo, aliàs sedecim, in puluerem omnibus redactis, ac per tenue cribrum transmissis: admiscetor mellis odori, flaui, acerrimi dulcißimiq;, adhæc curiosè despumati, quantum satis est, aut loco mellis admiscetor zaccari albißimi, & formetur ad sumentis placitum eclegma: uarianda nanq; sunt pro sumentis tum natura, tum placito pleraq; medicamenta. Nec probandi sunt, qui omnibus sub una quapiam mensura eadem medicamenta conficiunt. Simplicißimum quidem medicamentum hoc est, atq; hoc ipso magis simplex, à quo detractum gingiber est. Prudens hic omitto uaria quædam medicamenta, quæ tamen ferè omnes hoc tempore prædicto medicamen

men

mento admiſcent, ueluti ammi, cuius loco nõnulli amomum ponunt, Seſeli, libiſticũ, helenium, nardi ſpicam, & caßiam: cum Galeno nanq; ſentio, hæc medicamento ſubtrahenda eſſe, propterea quòd cruda minimeq; mutata ab ijs, qui ea ſumpſerint, longo tempore durare in uentre intelliguntur. Debet autem, ſi haberi poteſt, aniſum Cretenſe eſſe, thimũ uerò uel atticum uel planè ex æditis locis ac ſiccis, Piper uerò quod quidem longũ eſt, et ſimiliter gingiber, debent eſſe utraq; integra minimeq; perforata, atq; ex Barbaria allata: Albũ uerò & nigrum piper, utrunq; eligendũ eſt, quod ponderoſum, plenißimũ, maximumq; ſit, quod nec rugoſum, nec exile, nec craßi corticis fuerit. Ad hunc q́dem modũ hoc medicamentũ ritè paratum auxiliatur ijs, qui parum concoxerunt, & qui recẽs frigus in uentre habẽt, ac pituitoſum ſuccũ, adhæc acidos ructus dißipat: quẽadmodũ fumoſos ructus ſanare ſolet medicamentum ex aloë factũ, quod hieram picram uocant, uerũ ſic aßiduè eo uti nõ licet, ſicut prædicto diatrion pipereon, quo etiamſi quotidie utatur quẽ frigidus uenter infeſtat, nihil incõmodi ex eo ſentiet: imò quia huius medicamẽti calor in totũ corpus nõ perfertur, ueluti aliorũ quorundã, ſed circa ipſas primas uenas extinguitur, nõ tantũ ſemel aut bis quotidie porrigere conueniet, ſed & ſæpius: Siquidem mane & ante cibum & poſt, etiam cubitum euntibus rectè datur. 1. de lo. affectis li. Gale.

SEQVVNTVR POSITIONES DE TEMPERAMENTIS, ad prædicta non inutiles, quas D. Ioannes Katzschius cuiq; postulanti latius, Deo dante, explicare paratus est.

I.

Quatuor sunt, omnia gignentia, corpora, quæ elementa uocant.

II.

Duo grauia, ut terra et aqua: Duo leuia, ut aër & ignis.

III.

Ex elementorū in mixtis mutua inter se actione ac paſsione fit, primum non eorum corruptio, ſed tantummodo alteratio.

IIII.

Ex qua elementorū alteratione, Symmetria seu qualitas quædam ſimlis fit, quæ temperamentum uocatur.

V.

Ex continua tamen elementorum inter se pugna haud dubiè processu temporis uictoria fit unius elementi super alterum.

VI. Quæ

Quæ uictoria si fuerit exigua, fit primùm intemperies, si amplius augetur fit morbus, si uerò plurimum exuperat, sequitur mors.

VII.

Quum autem in humano corpore quatuor humores uice quatuor elementorum sint:

VIII.

Conseruatori sanitatis omni studio enitendum est, ne unus excedat alterũ excessu saltem magno.

IX.

Excessus tamen iste, sicut & Symmetria, nõ elementorum pondere mensuráue, sed dignitate diuisionísue iustitia æstimandus est.

X.

Ea enim iustitia non pondere aut mẽsura, sed eo quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat.

XI.

Porrò si calidum nobilius est frigido, & humidum dignius sicco, Aequũ sanè est, ut in temperaturis calidum præponderet frigido, & humidũ sicco.

XII.

Vita enim est per calidum, augmentum per humidum.

XIII.

Et cùm sanguinis in corpore plurimus sit usus, adeò ut reliqui humores ad ipsum collati, superfluitates iudicentur, par est ipsum maiore in copia abundare reliquis humoribus.

XIIII.

Sic singulæ corporis partes tempera turæ æqualitatem quandam obtinent, non quæ ex pari elementorum commixtorum mole spectatur, sed quæ tum pro forma, tum pro suis actibu. maximè cuiq; parti est accommodatas

XV.

Sola nanq; cutis temperata esse censetur.

XVI.

Cuius rei argumentum est, quòd uniuersis corporis partibus æqualiter calefactis, ut in febribus, aut infrigidatis, ut in Hydrope, non constat sanitas, sed ægritudo.

XVII.

Est uerò temperamentũ nihil aliud quàm Symmetria, aut qualitas quædã similis, ex actione & passione contrariarum qualitatum in elementis inuentarum eueniens.

XVIII.

XVIII.

Temperamenta in uniuersum nouem sunt.

XIX.

Vnum temperatũ, in quo nulla qualitatum elementariũ aliam uincit, quod sæpius imaginari, quàm demonstrari potest, ad quod & reliquæ intemperaturæ comparantur.

XX.

Octo sunt intemperata, quorum unumquodq; ingentem habet latitudinem, quæ uitæ ac sanitati non officiat.

XXI.

Quatuor sunt simplicia, ut uel { calidum, frigidum, humidum, siccum.

XXII.

Quatuor cõposita, ut uel { calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum.

XXIII.

Hæc intemperata dicuntur, ad comparationem temperamenti æqualis, quod rarò reperitur.

XXIIII.

Inter quæ calidum & humidum temperamentum, tametsi fluxionum ac redundantiæ morbis, maximè in puerili ætate obnoxium sit, longiſsimæ tamen uitæ censetur.

XXV.

Ob id sola conseruatione, nulla alteratione reductionéue, sanitatis tempore dignum est.

XXVI.

Verùm cùm humida uictus ratio excrementa & succorum abundantiam pariat, difficilè est ita mediocritatem seruare, ut neq; morbi incidant, neq; senectus maturetur.

XXVII.

Nulla tamen ratione exiccandæ naturæ humidæ ac calidæ sunt, nisi aliqua præter naturam humiditas subsit, qualis in raucedine, distillatione, catarrhoq; conspicitur.

XXVIII.

Humiditas namq; temporis processu à caliditate absumitur.

XXIX.

Hinc est quod ad ipsius temperamenti rationem attinet, quòd ij, qui maximè humidi natura sunt, maximè longæui sunt.

XXX.

XXX.

Iidem & ubi corpus ad iustam ætatem & robur peruenerit, sanitate plus cæteris fruuntur, & cæteris, qui parem ætatem agunt, ualentiores ad extremum usq; senium sunt.

XXXI.

Frigidum uerò & siccum temperamentum, omnium pessimum breuissimæq; uitæ esse solet.

XXXII.

Ob id potius corrigi, quàm custodiri meretur.

XXXIII.

Corrigitur autem si humectes calfaciasq;.

XXXIIII.

Hoc sanè fiet nutrimento humectante ac calido, exercitatione modica, uini calidi potione, & somno deniq; liberaliore.

XXXV.

Causæ uerò exiccantes, sicut motus uehemens, defectus alimenti, uigiliæ, excretio, & omnes animi affectus, fugiendæ sunt. Hæc enim omnia corpus exiccant. Quæ uerò his contraria sunt, humectant.

XXXVI.

Naturarum diuersitas potissima causa est tum longitudinis tum breuitatis uitæ.

XXXVII.

Sunt enim qui ab ipso ortu adeò improspero sunt corporis statu, ut ne (si Aesculapium quidem ipsum ijs præfeceris) uel sexagesimum annum uideant.

XXXVIII.

Natura enim repugnante parum medicina prodest.

XXXIX.

Naturarum diuersitas potissimùm in causa est, cur ab ijsdem tum adiuuentur, tum lædantur homines.

XL.

Si nanque omnes inter se similem corporis statum obtinerent homines, maximè admirandum esset, aliquos iuuari lædiq; ab ijsdem.

XLI.

Sed quoniam contrarij inter se multorum hominum corporis status sunt, ratione non caret, quòd ex contrarijs etiam utilitatem percipiant.

XLII.

Quamuis

Quamuis autem perpetuò certa regula sit, corpus sanum similibus seruari, ægrum uerò contrarijs curari,

XLIII.

Tamen calidiora natura, frigidioráue corpora semper contraria uictus ratione, tutius quàm simili utuntur, eò quòd similium rerum usu facilè lædantur, ut suprà de cibi qualitate dictum est.

XLIIII.

Morbi quos hæreditarios uocant, licet utplurimùm inextirpabilis existimentur esse radicis, tamen ne in deterius pullulent, conuenienti uictus moderatione prohiberi poterunt.

XLV.

Hæreditarius morbus censendus est, si utroq; parente eodem morbi genere laborante, conceptus infans morbidus edatur.

XLVI.

Vno enim parente existente sano, alterius seminis defectus corrigi poterit, ut in infantem hæreditariè morbus nõ transeat, ut experientia sæpe docet, quã negare cumprimis est sophisticum.

XLVII,

Sicut

Sicut uniuersi morbi, omnibus naturis, omni tempore, omniq; ætate euenire possunt, ita morbi uocati hæreditarij ac contagiosi, non mera necessitate subsequuntur, sed contingentia obueniunt, non tamen in omnes.

XLVIII.

Omnia tamen ex altissimi omnipotentisq; Dei præcepto procedunt, cui debetur gloria, regnum, & potentia, propter magnam misericordiam suam, per infinita secula seculorum.

AMEN.

CON-

# CONCLVSIO AD CANDIDUM LECTOREM, IO. KATZ.

QVantum naturæ (quæ est ferè sola morborum medicatrix) tribuant Hippocrates atq; Galenus, quantumq; studium ubiq; habeant, fortem seruare eam, quæ corpus regit, potentiam, ex eorũ libris omnibus, tum Medicis, tum Physicis manifestius est, quàm ut hîc recenseri necessum sit. Hoc illorum placitum, ut pleraq; alia, hîc secutus, omnem uictus rationem, quæ in dictarum sex rerum non naturalium usu consistit, ad sanitatem tuendam sic moderandam esse docui, ut septem res naturales, quibus corpus humanum constare diximus, in iusta temperie fortes salubresq; seruentur. Ne naturæ robur, uel nimia alimenti quantitate obruatur, uel immoderata eius subtractiõe, fame aut euacuatione deijciatur. Etenim quis negare ausit, etiam ex inedia & euacuatione morbos contingere posse? Cùm Hippocrates dicat, morbos qui ex euacuatione fiũt, curari repletione &c. Et nemo ignorat, calidis ac 2. Apho. 22.
siccis naturis, non solùm intempestiuam euacuationem, uerumetiam abstinentiam, uigilias ac inediam, non modò non tutã esse, sed præter alia incõmoda, etiam febres afferre posse, quàm uictus moderationem. Si quis ad unguem assequi (ut est res difficilis) non poterit, primum consilium est, ut saltem excessus sit à mediocritate nõ magnus.

Proximum

Proximũ est, ad eum potius declinare excessum, qui naturæ minus molestus exitialisq; sit. Quando uerò manifestum est, marasmũ, phthisin, hecticam, & cæteros morbos, in quibus humidum radicale (ut uocant) absumptum, euacuatúmue est, adeò ut solida similariũ partium substantia reddita sit siccior, humano consilio haud posse curari, tutius esse existimauimus (si in alterutram partem delinquendum sit) in cruditatem, quàm in hecticam uel marasmum homines incidere permittere, quo etiam nomine et Galenus non paucis hominibus, qui uel ob laßitudinem, uel ob iram, uel ob immodicas curas, uel ob tristitiã, uel ob longã mediã exiccati, febri correpti sunt, aquã frigidã potui dare non dubitauit, tametsi in interioribus uiscerib. adesse phlegmonen, certus erat, quippe tutius esse ratus est, phlegmonas impræsens augere, quàm sinere homines hecticã febrẽ incurrere.

10. lib. metho. meden.

Rursus quàm periculi plena res sit, cruditas immoderataq; repletio, de cibi quantitate abundè dictum est, Ad hæc penè agitur tantùm hoc loco, de temperamentis naturalibus, optimis ac sanis, aut illis saltem propinquis, quæ conseruari similibus, non tamen ad certam uictus rationem astringi postulant: fatendum est enim longè aliam uictus rationem in aduersa, quàm in secunda ualetudine instituendam esse. Hinc grauiter inuehitur Gal, in nonnullos Medicos, qui uel mala

gmate,

gmate, uel clysterio, uel uenæ sectione, uel frictione uel nutritione, quouis tempore, præcipuè per morbi statū, ab opere suo naturam disturbare solent, existimantes nihil sese artificiosum circa ægros præstitisse, nisi tale quidpiam iniunxerint. Hos toties peccare pronūciat Gal. quoties ægrū accedunt. Verùm sanitatis tēpore, bonis naturis haud difficile est, usu obseruare, qui quātusq; cibus potúsue noxius innoxiúsue sit: quæ præterea quantáue exercitatio. Pari modo de somno et uigilia, deq; cæteris sex reb. non naturalib. omnib. explorare, quib. ex reb. lædi iuuaríue soleant, uno tamē hoc documento obseruato, ut nemo mali succi alimenta in continuo usu crebroq; habere uelit. Quamuuis .n. mali succi edulia, à nonnullis cōficiantur, clàm tamen sensimq; longa dierū serie, prauus in uenis succus ex ipsis suggeritur, accumulaturq;, qui uel leui putredinis occasione arrepta, febres sæuiss. mireq; contumaces excitabit. Porrò de uenereorū usu, qui aptius fortè inter euacuationes, quàm affectus animi numerari poterat, sic locutus sum modestè, ut nemo nō intelligat, continentiā lasciuiæ præferri potiorēq; esse. Etenum ob immodicam petulantiā (præter alia dicta incōmoda) ultra trienniū uiuere non posse passeres autumat Aristo. Hæc eā ob rē hîc repetere libuit, ut æquo animo oīa perlustrans candidus lector dijudicet quo aīo, quóue ore nobis obijciatur

li. 1. de dieb. decretorijs

à nonnul-

35

à nonnullis, intemperantiam potius, quàm medio critatem, luxum quàm continentiã à nobis magis laudari: Non.n. cum ijs sentimus, qui uiuendũ esse ut edant, non edendum ut uiuant existimant.

Tametsi ubiq; ferè esse me usum autoritate Hippocratis ac Galeni (quæ non potest apud omnes doctos non plurimum ualere) ut cuiuis manifestũ est, ita non inficias eo. Cur.n. hoc idem mihi non liceret, quod laudatißimis nostræ ætatis uiris, præsertim Ottoni Brunfelsio ac Leonharto Fuchsio (quorum operam & exemplum imitari placuit) non sine laude conceditur? Nihilominus tamen omnium Doctorum Physicorum ac Medicorum censuræ, hæc qualia qualia sint, subijcio: Potestatemq; facio hæc corrigendi, emendandi, aut obliterandi, modò ad humani generis, ac imprimis ad Dei laudem uergat. Cui debetur regnum, potentia & gloria in seculum seculi, Amen.

Τέλος.

FRANCOFORTI, APUD HAEredes Christiani Egenolphi, Anno M. D. LVII.

2852 ≠

aw.